Fragmentarium

cia durior hominum querelam prouocat: quo uero temperantia ipsa sue dulcedinis gratia aliam inuidie querimonia uitat ;

[illegible] FILIUS EO QUOD ESSET ELISABETH [illegible] CESSISSENT IN DIEBUS SUIS

Diuinitus est procuratum ut prouecte aetatis diuque coniugii fructu priuatis: Iohannes parentibus nasceretur quatenus inopinato prolis ortu et ipsos donum gratius afficeret: et ceteros miraculi stupor futuri prophete pararet auditui. Denique posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: quid putas puer iste erit ;

FACTUM EST AUTEM CUM SACERDOTIO FUNGERETUR IN ORDINE VICIS SUE ANTE DEUM SECUNDUM CONSUETUDINEM SACERDOTII

Per mosen quidem dominus unum constituit summum sacerdotem: cui mortuo unum per ordinem succedere iussit: et hoc ad David usque tempora seruatum est. A quo plures fieri ut diximus: domino nihil omnium agente decretum est. qui uicarii ministrantes tempore uicis suae singula castimoniae studerent. Domum namque suam omnino non tangerent ;

Unde nunc Zacharias in ordine uicis suae sacerdotio functus asseueratur

SORTE EXIIT UT INCENSUM PONERET INGRESSUS IN TEMPLUM DOMINI ET OMNIS MULTITUDO POPULI ERAT ORANS FORIS HORA INCENSI

Non noua nunc sorte lectus est cum incensum esset adolendum sed prisca tunc sorte probatus. Cum primo ex ordine sui pontificatus in uicem abia succederet ;. Incensum autem in sancta sanctorum a pontifice deferri. Expectante foris templum omni populo decima die septimi mensis est iussum. et hanc diem expiationis siue propitiationis uocari ;

Que apud nos ob uarium lunae discursum a quo menses computant hebrei modo in septembrem mensem. modo incidit in octobrem: Quia scilicet mensis quo pascha gestum est ordine conditionis et edicto legis anni principium tenet. dicente domino ad mosen. mensis iste uobis principium mensium primus erit in mensibus anni. decima die mensis huius. Tollat unusquisque agnum et cetera ;

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_266_f125v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5272)